

Wg. 40.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

D I F F E R E N T I A

I N T E R

C A M B I I C E S S I O N E M

E T I N D O S S A T I O N E M

Q V A M

A V C T O R I T A T E E T C O N S E N S V

I L L V S T R I S I V R E C O N S V L T O R V M O R D I N I S

I N

A C A D E M I A G E O R G I A A V G U S T A

P R O

S V M M I S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R I B V S

R I T E O B T I N E N D I S

D I E X X . S E P T E M B R I S M D C C C

P V B L I C E D E F E N D E T

J O A N . P E T R . H I E R O N . H O C H
M O E N O . F R A N C O F V R T A N V S .

G O T T I N G A E

T Y P I S H E N R I C I D I E T E R I C H .



P R A E F A T I O.

Quemlibet summos in utroque iure honores ambientem obstrictum esse, dissertationem scribere, res tibi, B. L., satis nota est. Competit quidem candidato libera materiae elaborandae electio; sed certe minime libera est dicenda, si perpendas, tam multa iam in iure nostro scripta esse, praesertim de materiis tironi non nimis arduis. Iam diu mihi animus fuit, thema ex iure cambiali eligendi, cum haec iurisprudentiae pars mihi in primis placeat. Attamen magnopere haesitabam, quannam ex hoc iure materiam potissimum tractarem, quae tum paruum temporis spatium mihi ad elaborationem reliquum, tum vires meas exiles minime superaret. Itaque cel. DE MARTENS, praeceptorem meum in

A 2

hac

hac iuris parte, mihiique pie colendum, precibus adii, vt ex dubitatione mea me expediret. Ex compluribus quae mihi pro humanitate sua suppeditauit thematibus illud, cuius titulum frons dissertationis designat, mihi inprimis adrigit.

Boni consulas, L. B., de his, quae praestiti. Ipsem non ignoro, multa adhuc in hoc specimine esse desideranda, multa forsitan omissa, multa nimis breuiter, multa minus recte atque concinne dicta, quae autem amplius rei ipsius ambitui et arctis temporis limitibus tribuas quaeso. Ceterum aliquando, si otium mihi suppetit, hanc scriptiunculam limae subiiciam et totam denuo tractabo.

Vale, mihiique faue!

CON-

CONSP ECT V S.

Introitus §. 1.

CAPV T I.

Generalia quaedam de cambio eiusque cessione.

Et quidem

De cambio, quid nobis significet? §. 2.

De eius cessione §. 3.

Quotuplex haec sit §. 4.

Indossamenta olim prohibita fuisse §. 5.

Quatenus hodie valeant §. 6.

De indossamento in procura §. 7.

A 3

CAPV T II.

CAPUT II.

De cambii cessionis et indossamenti differentia.

A) Ratione formae §. 8.

B) Ratione iuris et obligationis §. 9.

a) Cendentis et indossantis §. 10 - 13.

b) Possessoris instrumenti §. 14 - 20.

c) Trassati §. 21 et 22.

INTROI.

ntia.

ut iudiciorum arbitriis etiam fiducia sit
ad eundem fiduciam ut in negotiis sicut
iudiciorum arbitriis fiducia est omnis
arbitrii fiducia. Iudiciorum arbitrii omnis fiducia
arbitrii fiducia. §. 1.

In t r o i t u s,

Rem cambialem maximam utilitatem proferre
mercaturaे, nemo dubitat, qui animo secum
reputat, negotia citius, tutius, maiori facilitate
et minoribus expensis per cambia a mer-
catoribus tractari posse, quam si in quolibet
negotio pecunia numerata illis adhibenda esset,
Quo de commodo, quod in mercatura per
cambia gignitur, fusius loquendi cum hic mi-
nime sit locus, resque ab aliis a) iam satis
demonstrata, ad quos te B. L. tua pace remitto,
paucis tantum memorabo, hunc vsum, quem
literae cambiales praestant, magnopere adhuc
augeri, quod cedi possunt aliis. Placuit vero
mercatoribus nouam speciem cessionis introdu-
cere in cambiis, quae brevior est et aptior ad

florem mercaturaे augendam quam illa, ex iure romano cognita. Nihilominus tamen et hodie cambii cessio secundum iuris romani formam facta occurrere potest. Quibus in rebus autem nunc differat cambii cessio secundum ius romanum, ab illa, quae secundum ius cambiale facta est, expōnere nobis in animo esse, thema dissertationis indicat. Quod ut rite fieri possit, generalia quaedam praemittenda putauimus, ad quae ipsa nunc transimus.

a) *Scaccia de Commerc. et Cambio* §. 2. q. 7. P. I. n. 96,
IOANN. GUALTHER *Diss. de Cambiis* P. I. Lit. G. et alii
ab hisce super hac materia allegati auctores.

CAPUT I.

ex
n et
for-
ebus
dum
ins
aimo
d vt
mut-
nus.
n. 96,
et alii

C A P V T . I.

GENERALIA QVAEDAM DE CAMBIO,
EIVSQVE CESSIONE.

§. 2.

Cambium, quid nobis significet?

Inutile foret, dum differentias inter cessionem cambialem et romanam demonstrare nobis proposuimus, magna sollicitudine de vocis *cambiī* origine disquirere, plures eius significations enumerare et cambiorum diuisiones prolixē recitare. De his enim fere vbiique in scriptis, vbi agitur de cambiis iuribusque circa illā obtinentibus, multa inuenies B. L. in primis apud DU CANGE a), GROLLMANN b) et ill. DE MARTENS c). Nobis sufficiat breuissimis dicere, quo in sensu hic vocem *cambium* sumimus.

Cambium igitur hoc loco idem denotat a*literae cambiales*, quae sunt instrumentum gua-

rentigiatum vocem cambium continens, conditum super negotium initum inter partes d), actionem producens.

Differunt tamen in eo literae cambiales ab instrumento guarentigato, quod in illis verbum *cambium*, Wechsel, adhiberi necesse est e), si processus cambialis ex illis fundari debet, qui in hoc discrepat a processu executio ordinario, quod citius res in illo pertractatur, executioque fit primum in personam deinde in bona debitoris, quod secus in instrumentis guarentigiatis, ex quibus quidem statim apparent quis debeat, quid, quale, quantum, cur, ubi et quando debeatur? sed super tali instrumento processus executiuus ordinarius tantum moveri potest.

a) DU CANGE verbo *cambire*; *cambium*.

b) GROLLMANN *Diss. de cessione literar. camb.* Cap. I. §. IV.
in BESEKE *thesaur. iur. camb.* p. 407. ibique alleg.

c) Illust. GEORG. FRIED. VON MARTENS *Grundris des Handelsrechtes insbesondere des Wechsel- und Serechts*, Göttingen 1793. §. 70, 73, 74.

d) Oc

- a) Occurrunt in cambiis propriis regulariter duas personae, sc. literas dans s. debitor et accipiens s. creditor, in cambiis impropriis s. trassatis vero, tres sc. trassans qui literas cambiales dat, remittens qui illas accipit et trassatus, qui illas solnere debet. Plura de his et eorum nominatione vide apud CARPOV Diss. de Cambiis §. 30 sqq. in BESEKE thesaur. p. 118.
- b) Sunt quidem DD. qui dissentunt, et secundum nonnullas Ord. Camb. non requiritur necessario vox *cambium* ad fundandum processum cambialem: nos qui dem secuti sumus sententiam recentiorum DD. vid. illustr. DE MARTENS c. l. §. 71. not. c. Illustr. RUSSE Grundsätze des gemeinen deutschen Privatrechts §. 224.

§. 3.

Cessio, quid sit?

Cessio est translatio iuris in alterum, ita ut cessum hic habeat proprium. In regula quodlibet ius in alterum cedi potest. Ad iura cessibilia nomina numerantur a), et sic quoque nomina ex cambiis descendentia.

- a) L. 17. D. de hered. vel act. vendita. *Nomina — et emere et vendere solemus: ea enim res est, quae emi et venire potest,*

Occurrunt in cessione tres personae, nempe *cedens* qui ius quoddam s. nomen in alium transfert, *cessionario*, in quem transfertur, et *cessus*, qui prioris debitor fuit, per cessionem autem posterioris debitor factus est.

§. 4.

§. 4.

Quotuplex sit?

Cambia cedi posse, in § antec. audiuiimus,
nunc *quotuplex* esse potest cessio cambiorum,
videndum.

Fit autem *vel* secundum requisita iuris
romani, et haec est vera *cessio communis*, *vel*
secundum ius cambiale, quae sub nomine *indossatio*, *indossamentum* venit, et cambiis pro-
pria est. *Haec* iterum dispesci poterit in *per-
fectam* — quae omnia requisita iuris cambialis
habet — et *imperfectam* — quae requisitis illis
caret. Vocant posteriorem *indossationem in
bianco s. in blancum*, de qua vid. §. 6.

Not. 1) In cessione cambii secundum ius cambiale facta
cedens vocatur *indossans*, cessionarius *indossarius* et
cessus indossatus,

2) Dividunt quoque indossamentum in *priuomet vterius*,
quando sc. multiplicatur, quod vulgo *giriren* dicunt.
HÖCKNER de litter. camb. indossam. c. II. §. III. in
BESKE thes. p. 380. Differt itaque *cambium indossa-
tum* a *girato* (vom *giriren*), quod illud semel, hoc vero
pluries secundum ius cambiale cessum sit. Sunt tamen
Ord. Camb. quae vocibus *giriren* et *indossiren* pro-
miscue vntur, teste HÖCKNERO c. I., c. I., §. IV.

3) Sunt

3) Sunt deinde qui *indossationem* s. *cessionem* *cambiis* *propriam* (et quidem perfectam) diuidunt in *indossationem* per modum *cessionis* et in *procura*, sed minus recte ut mihi videtur, cum *indossamentum* in *procura* verum mandatum, non autem *cessionem* contineat. Quam ob causam, et cum in hoc § species *cessionum* enumerare volui, *indossamenta* quae sunt in *procura* haud enumeraui, sed de his paulo inferius paucadicam.

§. 5.

Indossatio olim non ubique permissa fuit.

Cum per *indossationes* haud raro acciderit, ut magna confusio exinde oriretur, fuerunt nonnullae ciuitates, quae illas plane interdixerunt a). Quoniam vero *indossationes* *commerciis* quoque maximum praestant usum, et hic certe multo grauior est quam incommoda, quae ex illis oriri possunt, fere ubique *indossationes* antea interdictae postea admissae sunt, eo tamen discrimine, quod in nonnullis Ord. Camb. praescriptus sit numerus *indossamentorum* b), in aliis vero irrestrictus c).

a) e. g. Lipsiae, vbi §. 8. Ord. Camb. cantum erat; Es mögen inskünftige in keine Weise girirte oder überwiesene Wechselbriefe acceptirt werden, die Confusiones

und

und Unordnungen so sich dadurch begeben möchten zu verhüten. Ist derowegen verordnet, dass kein eingeschriebener Handelsmann verbunden seyn wird, dieselbige zu bezahlen, wie sie denn auch nicht sollen noch können eingefordert werden, sondern es bleiben dergleichen Briefe gänzlich verboten. — Quam prohibitionem etiam olim Francofurti per speciale edictum de Anno 1620 et 1635 obtinuisse, refert HEYDINGER im gründlichen Verstand zum Wechselrecht p. 130. quod etiam appetet ex §. X. nouae Ord. Camb. Francof. de Anno 1739 verbis: die girirten und transportirten oder indossirten Wechselbriefe — sollen aus gewissen Ursachen nicht ferner verboten (seyn), sondern angenommen werden.

b) e. gr. in Ord. Camb. Winar. §. 8. Und weil durch die mehr als einmal indassirte — Wechselbriefe — oft Unterschleife und Unrichtigkeit vorgehet; als sollen dore gleichen nicht zulässig seyn.

c) e. gr. in Ord. Camb. Francof. c. I.

§. 6.

Indossationes quatenus hodie valeant?

Hodie sine villa dubitatione regulam constitutere possumus de valore indossationum: Omnis cambii a) indossamentum verum rite confectum valet et profert actionem et obligationem cambialem.

Rite

Rite (§. 9.) tale indossamentum confectum esse debere diximus i.e. ita, vt requisita indossamenti iuris cambialis communis vel particularis habeat.

Ad indossamenta non rite confecta illud merito referre possumus, quod *imperfectum* seu *in blancum*, *in bianco* §. 4. diximus. Est sc. tale vbi indossans nil nisi nomen suum adposuit, reliquitque aliquod spatium cui indossamentum aliquando inseri debet.

Secundum ius commune cambiale tale indossamentum *in bianco* ex analogia chartarum blancarum dijudicandum erit. Quae cum ad legitimationem haud sufficient *b)* sed impletae esse debeant, idem dicendum est de indossamento *in bianco*.

Inueniuntur vero leges particulares, quae hanc speciem indossationis propter maxima incommoda *c)* reuera exinde saepe oriunda partim plane non *d)*, partim vero sub quadam modificatione *e)*, admittunt *f)*. Quapropter de illa nil amplius dicam.

^{a)} Etiamsi cambium verbum *Ordre* haud contineat. Ill. DE MARTENS c. l. §. 82. not. c. Sunt tamen Ord. Camb. vocem

vocem *Ordre* in cambiis, si illa indossare volumus,
requirentes, e. gr. Ord. Camb. Hamb.

b) *Stryk* introduct. ad *prax. forens.* C. X. §. 10.

c) *Riccius Exercitat.* in *vniuersum ius camb.* Exerc. VI.
Sect. V. §. 9.

d) e. gr. in *Ord. Camb. Winar.* §. 8. vbi cautum: *Und
weil — nicht minder durch die Indosamente in bianco
oft Unterschleife und Unrichtigkeit vorgehet; als sollen
dergleichen nicht zulässig seyn.*

e) v. c. in *Ord. Camb. Francof.* §. XL. *Und ob sichon auch
sonsten ein Wechselbrief, so ohne Endossement oder er-
haltene Cession präsentiret wird, acceptirt werden muss,
so ist doch der Trassat oder Acceptant, wann solcher
Brief bey der Verfallzeit und Forderung der Bezahlung
anno mit keinem ausgefüllten Endossement versehen
ist, noch der Inhaber sich sonst dazu gebührend legi-
timiret, bis zu der gestaltiger Indossirung oder beschle-
nen Legitimation, die Zahlung zu thun nicht schuldig,
jedoch sollen bey verflossenen Respect-Tagen die Gelder
entweder deponiret, oder gegen genugsame Caution aus-
gefogt, in Ermangelung dessen aber der Wechsel pro-
testiret werden, widrigensfalls, und da der Protest nicht
erfolget und Schaden entstehet, der Präsentant den Re-
gress an den Aufsteller verlieret.*

f) *Nihilominus mercatores haec indosamenta in blan-
cum tum propter commoditatem, tum propter usum
ex illis profuentem *) hodie exercent **).*

*) *Riccius* c. I. §. 5.

**) *Ill. de Martens* c. I. §. 82. ibique allegati.

§. 7.

§. 7.

Indossamentum in procura, quid?

Indossamentum in procura s. in vim mandati cessionem haud continet, sed nil nisi mandatum ab indossante indossatario datum, ut pecuniam a trassato sibi soluendam curet et acceptam indossanti restituat, vel alio praescripto modo mandatum exequatur.

Indossans in hoc indossamento verus mandans, indossatarius vero mandatarius est, et indossamenti nomine hoc mandatum venit propter formam cessioni cambiali s. indossamento vero similem a).

Quapropter, cum neutquam de differentiis inter cessionem et mandatum disserere consti-
tui, sed de discrimine, quod inter cessionem
cambii communem et eius indossamentum ve-
rum obtinet; illud indossamentum in procura,
vulgo sic dictum, silentio praetereo. Progre-
dior itaque ad differentias ipsas cessionis et in-
dossamenti cambii.

a) Plura de indossamento cambii in procura vid. apud Ricorū Exerc. VI. Sect. III.

C A P V T II.

D E CAMBII CESSONIS ET INDOSSAMENTI DIFFERENTIA,

§. 3.

A) Ratione formae.

- Cessio cambii a)* fieri potest et solet:
- 1) *Vel extra cambium in separato instrumento,* in quo titulus cessionis et quantum cessionarium dederit pro nomine cesso expressum est.
 - 2) *Vel etiam in cambio ipso,* quo casu autem requiritur, ut verbis expressis dicatur, communem cessionem factam esse b), et in hoc eadem iura, eadem obligationes veniunt quae in priori.

Indossamentum cambii vero regulariter in cambio ipso adscribi debet secundum formulam solitam c), et quidem *vel* immediate sub cambio ipso in facie aduersa cambii d), *vel*, quod plerumque fit, in eius facie auersa seu *dorso*, unde quo-

Quoque nomen *indossamentum* e). Tanquam exceptio considerari debet, si ex iure particuliari certo casu *indossamentum* non in cambio ipso scribere permittitur f).

a) Sub vocibus *cessio cambiis*, *cedens*, *cessionarius*, *cessus*, evidentiae cause semper intelligo *cessionem secundum ius commune romanum factam*. Alii enim hisce terminis interdum de cessione cambiali vuntur.

b) e. g. Ich cedire an Herrn C. etc.

c) v. c. Für mich an die Ordre Herrn Christ. Cramer, Valuta*) empfangen (in Rechnung den Werth etc.) Gürt. den 9. September 1800.

CARL HELD.

*) Valuta, indossatarii nomen, dies, annus, locus et indossantis subscriptio propria manu facienda regulariter non omitti debent. Illustr. DE MARETENS c. l. §. 82.

d) HOECKNER c. l. Cap. III. §. 2 et 7.

Allgem. Preussisches Landrecht. Th. II.
Tit. VIII. §. 811. vbi dicitur: das Indossament muss auf dem Wechsel selbst verzeichnet werden.

e) HÜCKNER c. l.

f) Preussisches Landrecht c. l. §. 812. Ist jedoch bey langen auf entfernte Plätze gezogenen Wechseln, wegen Mangel des Raumes die Fortsetzung des Indossaments auf dem Wechsel selbst nicht möglich: so kann dieselbe auf einem eingeklebten Blatte gültig geschehen — §. 813. Außer diesem Fall hat die nicht auf dem Wechsel selbst geschehene Uebertragung desselben, nur die Wirkung einer Cession.

§. 9.

— Ratione iuris et obligationis.

Ratione iuris et obligationis inter cessionem et indossationem cambii hoc est discrimen, quod illa plane ex iure communī romano, haec vero ex iure cambiali diūndicanda est.

Cedere cambium itaque quilibet poterit, qui in genere rerum suarum liberam dispositionem habet, nec specialiter prohibitus est a). Indossationem vero is tantum recte suscipit, qui secundum ius cambiale teneri et obligari potest b).

a) Riccius Exercit. VI. Sect. II. §. 6.

b) Quinam hac facultate gaudent, nec ne, vid. apud ill.
DE MARTENS. c. I. §. 65 sqq.

§. 10.

a) Cedentis et indossantis.

Cedentis et indossantis iura et obligationes in eo differunt:

1) quod priori, cessione facta, competit adhuc ius solutionem exigendi a cesso a) et transigendi de nomine, nisi a) cessionario iam partem soluerit vel solutionem promiserit cessus, b) a cessionario denunciata fuerit cessio debitori cesso b). — Vtrum quoque idem valeat, si aliunde debitor cessus certior factus

factus est de cessione; disputant DD. e)
Posteriori vero illud ius non competit, cum
per indossationem cambii possessionem amittat,
et possessor cambii solus solutionem
petere possit.

a) Alii fundamentum huius iuris, dominium s. actiones di-
rectas, quae post cessionem adhuc penes cedentem man-
neant, esse dicunt, propter I. 3. C. de nouationibus.
Aliud fundamentum proferunt alii e. gr. LEYSER in
med. ad Pand. spec. CIC. med. VI. VII. cuius ipsissima
verba libeat-huc transferri: "Subtile et factum domi-
nium cedentis vera ratio esse nequit. Illud enim per
ihoc, quod certior redditus debitor de cessione, non
sollicitur; atque tamen debitor certior redditus soluere
et transigere nequit. Genuina ergo ratio est, vel, ut
Ludouici in Doctrina Pand. lib. 18. tit. 4. §. 9. existi-
mat, bona fides debitoris cessi, qui in ignorantia facti
alieni constitutus merito excusat; vel culpa cessionarii
cui imputandum est, quod cessionem factam debitori
non denunciavit." Quod etiam mihi placet.

b) I. 3. C. de nouat.

c) BRUANEMANN de cess. act. Cap. V. n. 21 sq.

Porro in eo discrepant
2) quod cedens obligatus est cessionario instru-
mentum cessionis validum exhibere a) vel
veram cessionem vulgarem factam esse, in
cambio scribere. Non aequa indossans, qui
indossationem in cambio ipso adnotare de-
bet. (§. 8.)

a) HOECKNER c. I. Cap. II. §. I.

(a) §. 12.

3) Quod cedens tenetur cessionario pro veritate, minime vero pro bonitate nominis, i.e. tale nomen s. cambium cedere tenetur, quod a debitore pro liquido agnosceatur, sed pro facultate eius soluendi haud tenetur a). Indossans contra tenetur tam pro veritate et liquiditate, quam pro bonitate nominis b).

a) L. 4. D. de hered. vel act. vendita: Si nomen sit distractum, Celsus scribit, locupletem esse debitorem non debere praestare: debitorem autem esse praestare nisi aliud conuenit, addo l. 7. 8. 25, ibidem:

b) HOECKNER c. I. Tirus in iure priuato, Lib. X. Cap. V. §. 51.

§. 13.

4) Ultimum denique discrimin intuitu cedentis et indossantis hoc est, quod cedens transferre nequit cambium a) in potentiores, quia cessi conditio deterior reddi non debet a), b) in tutorem vel curatorem contra pupillum seu minorem b). c) Iudeaus cessionem in christianum contra christianum facere prohibitus est c). Indossans vero cui libet sine discrimine cambium indossare potest d), cum exceptione dolii, quae in contienti probari nequit, in processu cambiali non valeat e).

a) L. 1.

- a) L. 1. C. ne liceat potentioribus etc. l. 2. eodem. Si cuiusunque modi actiones ad potentiorum fuerint delatae personas, debiti creditores iactura multentur. STRYK de potentiore cessionario.
- b) Supponitur vero minor qui ius habet mercaturam faciendi, vel qui consensu curatoris s. tutoris secundum ius cambiale se obligauit. Nam regulariter neque pupilli neque minores soli obligationem cambialem in se suscipere possunt, cum priores personam, posteriores bona sua sine aliorum consensu hanc obligare possint.
- c) Rec. Imp. de Anno 1551. §. 79. vid. tamen HELLEFELD iurisprud. for. §. 1022. not. t.
- d) III. DE MARTENS. c. l. §. 82.
- e) ENGAU. elem. iur. germ. Lib. III. Tit. XVIII. §. CCXI.

§. 14.

- b) *Possessoris instrumenti s. cessionarii et indossatarii.*

Inter cessionarium et indossarium sequentes differentias constituere possumus:

- 1) Cessionarius regressum habet tantum aduersus suum cedentem si nomen cessum illiquidum est, minime vero contra illum, a quo cedens ius suum derinat a). Indossatario vero propter non acceptationem cambii, cum hanc ob causam protestationem rite fecerit et remiserit, electio competit, vtrum regressum sumere velit contra suum indossantem an contra unum priorum indossantium b),

vel contra trassantem ipsum, et tempore solutionis nondum elapso, a quolibet simul cautionem de solutione cambii vel nouum cambium de eadem summa, eodem tempore et loco soluendum, exigere potest c). Electio indossatario hac de causa competit, quia in cambio antecedens semper tenetur subsequenti et ultimato trassans. Cum hic vero postremus tenetur tam intuitu cambii ipsius quam expensarum et damni, nil interesse potest posterioribus indossantibus, quos et quot indossatarius praesentans, etiam si omnes indossantes, transiliat et actionem aduersus trassantem instituat. Nam certe et prioribus indossantibus et trassanti ipsi, ratione usurarum et impensarum, quae per id minuantur, haec indossatarii facultas commodum praebet, nec minus huic ipsi, quamvis quoque hoc incommodo laboret, quod aduersus girantem, quem transiliit, regressum porro sumere nequit d), nisi expresse illum sibi reseruauerit.

a) L. 29. D. de enict.: *Si rem, quam mihi alienam vendideras, a domino redemerimus, falsum esse quod Nerva respondisset, posse te a me pretium consequi ex vendito agentem, quasi habere mihi rem liceret, Celsus filius aiebat: quia nec bonae fidei conueniret et ego ex alia causa rem habarem.*

b) Nisi adsit qui indossavit ita, ut regressus contra illum locum habere nequeat, quod solent mercatores exprimere

so-
mul
um
pore
ctio
in
enti
tre-
am
test
in-
los-
ras-
bus
su-
nn-
um
no-
sus
rro
ibi
ndi-
rua
lito
lius
alia
um
ori-
ere
mere verbis: ohne mein Obligo, Praejudiz, aduersus quem regressum non habet. III. DE MARTENS c. I. §. 102. not. a. et Ord. Camb. Francof. §. XXVIII.

- c) Tunc vero indossans sium trassans eligit.
- d) Iam in iure romano hoc obtinet, secundum L. 52. §. vlt. D. de euict.: Si plures mihi in solidum pro evictione teneantur, deinde post evictionem cum uno fuero expertus: si agam cum ceteris, exceptione me esse repellendum, Labeo ait — Clarius id praescriptum legimus in Ordinationibus Cambialibus e. g. in O. C. Francof. §. XXVIII seq.

e) PHOENSEN im Amsterdamer Wechselgebrauch, Cap. XIX.
§. 5.

§. 15.

- 2) Cessionarius, si liquidum est nomen cessum, agere tantum potest contra debitorem cessum, nisi soluit, cum pro bonitate et exigibilitate cedens haud teneatur cessionario: Indossatario autem propter non solutionem cambii acceptati non solum ius eligendi competit, vt agere possit vel aduersus acceptantem, cum hic ex facto acceptanceis ad solvendum obligatus sit, vel contra praecedentes regressum sumere, quo in casu iterum electionem habet, aduersus quem indossantium regredi vult a). Si vero primum agit contra acceptantem, vt soluat, habet etiam praeterea ius variandi, vt, cum iam egerit contra acceptantem, deserere possit hanc

actionem et regressum sumere contra indossantes et trassantem, atque iterum hanc actionem derelinquere et aduersus acceptantem agere, secundum plurimas Ord. Camb. b). Cum vero primum agit aduersus acceptantem indossarius, protestatio ipsa, neque eius remissio ad ultimum indossantem ab illo negligi debet, ut saluus illi maneat regressus aduersus ceteros.

a) Attamen sunt Ord. Camb. quae volunt, ut ordo indossantium in regressu seruetur. v. c. O. C. Lips. §. XIX.

b) Videatur O. C. Lips. §. XX. Gothaica §. VIII. Henneberg. §. VIII. et plures aliae, quas allegat SCHERER im Handbuch des Wechselrechtes. P. II, sub voce *indossatarius* §. 10.

§. 16.

3) Cui cessione facta est secundum ius commune romanum propter illiquiditatem nominis aduersus cedentem, propter non solutionem aduersus cessum agit tantum ordinario processu, et, aduersus hunc lata sententia, executioni reali locus est: Indossarius e contrario actiones sibi competentes instituit in processu cambiali, et, lata contra reum sententia, executio secundum rigorem juris cambialis sit primum in personam deinde in bona debitoris.

§. 17.

§. 17.

4) Quodsi pluribus idem cambium diuersa vice cessum est; is, cui primo cedebatur, praerogatiuam habet *a*): e contrario indossatarius, qui in cambio ultimus est, solutionem solus recte desiderat, cum acceptans nec potest sine damno, nec debet soluere illi, qui cambium non possidet *b*). Quam ob rem etiam si cambium prima vice per instrumentum cessionis, secunda vice per indossamentum in aliquem cessum est: hic, non ille, solutionem petere potest; quia cambium accepit et tenet, ex quo actio oritur fortior quam ex instrumento cessionis *c*).

a) L. 2. C. qui pot. in pignore habeantur, in verbis finalibus: *Nam cum de pignore utraque pars contendit, praeualeat iure, qui praeuerit tempore.*

b) HOECKNER c. l. Cap. II. §. I.

c) IDEM c. l. §. II. RICCIUS Exerc. VI. Sect. IV. §. 4.

§. 18.

5) Indossatarius obligationem habet protestandi propter non acceptationem et non solutionem *a*), ac protestum quam citissime, et in regula per primum cursum publicum retrogradum, post non acceptationem et non solutionem certam, ad illum ex praecedentibus in cambio mittendi, ad quem regredi vult:

vult: Cessionarius contra hanc obligationem non habet.

a) Si acceptans tantum partem summae in cambio expressae solvere velit, in regula penes praesentantem est, an illam accipere velit, nec ne: si accipit, de residuo tantum protestari tenetur. Partem autem solutionis necessario accipere non tenetur, nisi leges particulares hoc claris verbis praeципiant, vii v. c. Ord. Camb. Francof. §. XXX. Ill. DE MARTENS c. l. §. 101.

§. 19.

6) Indossatarium per praesentationem cambii indossati ipsius se legitimare apud trassatum oportet a): cessionarius iam per instrumentum cessionis, si valida requisita habet, satis se legitimat b).

a) Ill. DE MARTENS c. l. §. 133.

b) LEYSER spec. 201.

§. 20.

7) Denique occurrit discrimen hoc in cessionario et indossatario, quod ille agere potest vel actione directa, nomine cedentis a), vel utili, proprio nomine b). Indossatarius vero, quia dominus cambii per indossamentum factus est, directe agit.

a) L. 8. C. de act. vel hered. vendita.

b) L. 7. e. t.

§. 21.

§. 21.

c) *T r a s s a t i.*

Superest de differentiis iurium et obligatio-
num trassati contra indossatarium et cessiona-
rium agere.

Adest *prima* differentia in eo, quod trassat-
us declarare obligatus est indossatario, praesen-
tato illi ab hoc cambio, velutne acceptare
cambium (i.e. eius mandatum peragere), nec ne,
et si acceptat, id facere debet secundum for-
mam suetam a), vel a legibus particularibus
praescriptam. Apud cessionarium trassatus hanc
formam seruare non tenetur.

a) III. DE MARTENS c. l. §. 89. vbi dicit: *Gewöhnlich ge-
schiehet die Acceptation schriftlich unter dem Wechsel-
briefe durch das Wort, acceptirt oder acc., mit Unter-
schrift des Vor- und Zunahmens des Trassaten, und bey
Wechseln die aus der Sicht berechnet werden, des Da-
tums. Präsentant ist auch befugt auf eine Acceptation
dieser Art zu dringen; allein wo die Gesetze nicht das
Gegentheil bestimmen, da kann die Acceptation auch
gültig, entweder in einer besondern Schrift, oder auch
mündlich geschehen.*

§. 22.

Altera differentia et praecipua haec est:
Trassatus (cessus) easdem exceptiones in rem
(i. e. ad actoris personam non adstrictas v. c.
Except. Senatusconsulti Macedoniani) quas
ceden-

cedenti, etiam cessionario opponere potest: quod ad exceptiones in personam, distinguendum, utrum cessionarius agat actione directa, an utili? Priori casu exceptiones in personam cedentis opponit recte trassatus cessionario *a)*, minime vero posteriori casu, nisi cessio titulo lucrativo facta *b)*. Trassatus acceptans vero exceptiones, quas indossanti soli, indossatario haud opponere potest. Tenetur enim ille huic ex facto acceptationis, quae fieri debet secundum trassantis et cambii sententiam, quae est: trassatum soluere, minime vero exceptiones opponere debere praesentanti. Quodsi itaque acceptauit cambium, soluendi promissionem fecit indossatario et tenetur ad implementum promissi, cum obligationem ex hoc prouenientem circa voluntatem praesentantis tollere nequeat. Si teneri haud voluisse secundum sententiam trassantis et eius mandatum, cambium non acceptare, vel quousque mandatum peragere vellet, cum praesentante conuenire debuisset.

a) a SANDE de cess. act. c. 13. §. 7.

b) L. 4. §. 28, 29. D. de deli mali et metus except.

T H E S E S.

I.

*Insinuatio donationis fieri quoque potest coram
iudice incompetente.*

II.

Non datur transactio iudicialis inuita.

III.

*Senatusconsultum Macedonianum obligationem
filiifamilias non extinguit; sed solum actionem
ex ea descendenter.*

IV.

*Clausula codicillaris tacite in ultima voluntate
non continetur.*

V.

*Prodigus testis est idoneus, ubi ad veritatem
dicendam producitur.*

VI.

VI.

In contractu pignoratio culpa leuis est praestanda.

VII.

Emitor ad locationem antecessoris seruandam non est obligatus.

VIII.

Si mandatarius fines mandati excessit: ob excessum ne actione quidem negotiorum gestorum a mandante id, quod impedit, repetere potest.

IX.

Vsufructuarius thesaurum non sibi adquirit.

Kg 4999. 8¹⁰

f



56.

KO 17

Farbkarte #13



DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

DIFFERENTIA

INTER

CAMBII CESSIÖNEM

ET INDOSSATIONEM

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

PRO

SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

DIE XX. SEPTEMBRIS MDCCC

PVLICE DEFENDET

JOAN. PETR. HIERON. HOCH

MOENO - FRANCOFVRTANVS.

GOTTINGAE

TYPIS HENRICI DIETERICH.

